



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De meritis iustorum, cap. 11.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

cem & religionem vsque adeò turbauit, nunquam profectò deuenisset. Redit quidem nunc & recantat plurima, sed corde minimè synce- ro, agit eum partim in tot malis & seditio- nibus populorum, timor tui, partim odium in- suermeros suos, a quibus nunc contemnitur, sed cor eius non est rectum coram Deo, quia v- bique adhuc tumet superbia, nec vllum præbet veræ pœnitentiæ signū, induratus ac proprio iudicio condemnatus. Ingenue enim fatetur, nullam esse spem de vlllo hæresiarcha vt con- uertatur, quia tale peccatum nimis grande sit, cum blasphemet verbum dei, & peccet in spi- ritum sanctum. Quid ergo facias? Illustrissime Princeps, sequere consilium Dei, præcipe vni- uerso populo tuo, vt separetur à tabernaculis eius. Recede & tu ab eo, ne inuoluaris in pec- catis eius.

In lib. I. cō-
tra Zuing.
& Oecol.
Num. 16.

De meritis iustorum.

CAP. XI.

VISITATOR.

NON est necessarium, de meritis exacte dis-
putare, an ea Deus propter opera nostra
præbeat Satis est, si populus instruatur, quòd
Deus talia opera requirat ac mercedē præbeat,
quandoquidē promisit, absq; merito nostro.

In lib. V. p. 1.

DE MERITIS IVSTORVM.

- In Assertio-
ne art. 32.* S V E R. Vnde prorepis nunc cum meritis & mercede bonorum operum? nunquid ignoras me latissime contra Papistas probasse, Iustum in omni opere bono peccare mortaliter secundum iudicium Dei? V I S I. Multi quidem elamant, bona opera nihil promereri. At multo fatius esset, ut impellerentur homines ad bona opera facienda, ommittereturque acuta disputationes istiusmodi. E C C L E. Natura quidem non est contenta, ut faciat bonum propter ipsam probitatem, aut iustitiam, sed vult aliquid per hoc mereri aut effugere. Hoc autem falsum est & peccatum coram deo, sicut Paulus Ro. iij. ex Psal. xij. concludit, quod ob id nullus homo coram deo iustus sit. M A R. Si rectam haberes fidem, nihil posset inesse vel accidere tibi, quin totum placeret Deo, bonumque ac meritorium esse oporteret. Ita enim ait S. Paulus Ro. viij. Scimus, quoniam omnia cooperantur in bonum sanctis Dei. E C C L E. Non debemus probi esse ad merendum aut vitandum aliquid, quia omnes tales mercenarij sunt & serui conducticij, non voluntarij filij, & hæredes. M A R. At tu ipse docuisti, plus meriti esse, si pauperi des florenum vnum, quam si sanctis des centum. L V T. Ego autem rectius docui, omnia opera nostra coram Deo, aut nihil esse, aut æqualia: quia deus opera nihil curat, nec eis indiget. Indiget autem, ut verax in suis promissis à nobis habeatur. E C C L E. Qui non plus querit, quam probitatem, is querit & in-
- In lib. Visti-
ta.*
- In 500. ar.
art. 266.*
- In Sermonem
de Triplici
iustitia.*
- In lib. de bo-
nis operibus*
- Vbi supra.
art. 267.*
- In 500. ar.
art. 156.*
- In Ser. Na-
tiu. Maria.*

uenit ipsummet Deum. Qui autem præmium
 quærit & pœnam fugit, is nunquàm inuenit
 Deum, quia præmium seu mercedē facit Deū
 suum. Nam propter quod homo aliquid facit,
 hoc est Deus eius. M A R. Quatuor sunt ge-
 nera hominum: Aliqui enim iusti sunt, & libe-
 ri ab omni lege, quia ait Apostolus j. Timo. j.
 Iustis non est lex posita: Aliqui ea libertate
 abutuntur, bona opera per eam omittentes.
 Tertiò sunt mali & peccatores, qui legi-
 bus coërcendi sunt. Quartò sunt paruuli ad-
 huc in fide, qui externis ad fidem inducuntur
 ceremoniis. Iam quæ tu dicis, de iusto intelli-
 genda sunt, qui certus est per fidem, omnia sua
 opera placere Deo, nec aliud petit aut quæ-
 rit, quàm operari vt placeat Deo in fidem
 suam. D O C T. Sed nescire vos puto, fratres,
 ideo data nobis esse præcepta à Deo, vt per ea
 mereamur. Nam vbi non est obedientia, ibi
 non est meritum: Vbi autem non est præceptū,
 ibi non est obedientia. Cùm igitur nullum sit
 præceptum de redimendis pro animabus in-
 dulgentiis, melius est circa certiora & merito-
 ria permanere, per bona opera pro eis orare,
 quàm indulgētias redimere. B A R. Non cūgruūt
 hæc libertati Christianæ, quia neque legibus,
 neq; imperiis licet cōscientias captiuare Chri-
 stianas. D O C T. Erras, Barraba, quia quantò
 longius es à permissio & propius præcepto, tan-
 tò tutior vita. Nam obedientia est tuta, liber-
 tas verò periculosa. M A R. Rectè ais, Doctor,

*In Cap. Ba-
byl.
Vbi supra
art. 268.*

*In lib. de bo-
nis operibus*

*In Sermone
de indulgē.*

*In li. de for-
mula missæ.
Vbi supra.*

DE MERITIS IUSTORVM.

In Resolu. Conclu. 42. quia præceptū Dei infinita dignitate præstat, eo quod per hominē permittitur, vt est veniarum redēptio: cum illic sit meritū, hīc nullum.

In 500. ar. art. 446. **E C C L E.** Multa quodē de merito dicitis, sed non cōsideratis, quod misericordiam Dei reiicitis, & eo nos ducitis, vt satisficiamus iustitiæ Dei, operibus bonis. Ab hoc vero maxime cauendum est: Quin potius igitur dicat vnusquisque, O Deus, nihil volo operibus meis coram te mereri, sed eò solū ipsa dirigere, vt seruiant proximo, & ego nudæ misericordiæ tuæ adhærebo. **M A R.** At ego rectius olim contra Eccium ita conclusi, meritum Christi esse thesaurum Ecclesiæ, & sanctorum meritis nos iuuari certum est. **E C C L E.** Falsa est hæc conclusio, Martine, quia vnus est mediator Dei & hominum, vt ait Paulus 1. Timo. 2. Iesus Christus, per cuius meritum solius nos & omnes sancti saluamur. Ideo pro meritis S. Petri, ne vnum quidem obolum darem, vt me adiuuaret, quia seipsum iuuare non potest: sed quicquid habet, à Deo habet per fidem in Christum. **D O C T.** Blasphēma sunt hæc: Nam omnes sancti omnia possunt, & tantum per eos tibi à Deo datur, quantum credis te accepturum. Quid enim aliud sunt sancti, nisi velut guttulæ roris, siue guttæ noctium in cincinnis, & capite sponsi? **Cant. 5. E C C L E.** Vt cunque res habeat de meritis (vt vulgò iactatur) Sāctorum, ego certe, si cælum viderem apertū, & possem illud leuatione vnus festu-

In 500. ar. art. 446.

In Ser. dominica X. post festum.

Trinita

Ibi. articu. 448.

Contra Eccium Conclu. 10.

Vbi supra art. 456.

457.

De X. præsep. cap. 1.

Vbi supra. art. 454.

cæ promereri, nollem tamen facere, ne auſim dicere. Ecce promerui. BARR. Tempus autem belli ruſticorum noſtrorum tam mirabile dixi ego, vt princeps quiſpiam cælum promereri poſſet ſanguinem fundendo, melius quàm alij orando. ECCLE. Non rectè dixiſti: quia non propter opera noſtra, ſed gratis dat nobis cælum Deus.

In lib. 2. cõ-
Ruſticos.
Vbi ſupra
art. 451.

COCLÆVS.

Vide obſecro (Illuſt. Prin.) quàm miſerè fatigauerit turbulentum hoc ingenium, & ſeipſum & alios ſodales, iuxta & aduerſarios, multis iam annis, tam diuerſis inſtabilibusque contra Eccleſiam ſententiis ſuper meritis & premiis bonorum operum. Quid ergo profecit? In lib. Viſi.
nõnne fatetur ipſe, nunquam fuiſſe iuuentutem magis temerariã, ac incompoſitam, quam nunc eſt? Videmus, inquit, quàm parum audiat dicto, quàm parum reſpiciat parentes. Quapropter multæ proculdubiò plagæ, bella, ſeditiones, aliãque mala in orbem veniunt: Hæc fatetur ipſemet. Cur ergo à peſte, tam nocente ex profeſſo, te non ſeparas? cur tam diu in communẽ totius Germaniæ perneciẽ foues ac protegis? cui tuorum tam diuerſa, contrariãque ſcripta eius profunt? Quis verò vnã certã ſententiã de meritis ex hac contrarietatum ſylua colligere queat? Conſultius igitur feceris, ſi o-

DE HONORANDIS PRESBYTERIS
omnia eius opuscula pariter exusseris, iuxta
exemplum Pauli Acto. xix. quàm ut perpe-
tuò sinas tuis populis tam nequiter ac pernicio-
sè illudi, ac pro omnibus his incertis contra-
riisque nugis accipias hæc certissima verba
Christi. Matth. xx. Voca operarios, & redde
illis mercedem. Mar. ix. Quisquis potum dede-
vit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo,
quia Christi estis: Amen dico vobis, non per-
det mercedem suam. Et Luc. x. Dignus est ope-
rarius mercede sua. Aut clarissima hæc Pauli
ad Corinthios, Vnusquisque propriam merce-
dem accipiet secundum suum laborem. Et si
volens hoc ago, mercedem accipio. &c.

De honorandis Presbyteris.

Cap. XII.

VISITATOR.

In lib. 7.º
sa. **A**D hoc quartum præceptum pertinet, ho-
norare Senium: Item honorare Presby-
teros, qui verbo Dei nobis ministrant. Mini-
stri enim sunt verbi Dei, & nos verbum Dei per
eos habemus: sicut scribit Paulus j. Ti. v. Qui
In lib. de
Abrogan.
Missa. bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni
habeantur, maxime qui laborant in verbo & do-
ctrina. SV. Ego ne Idola illa rasa & oleata vllò